

POËTAE POLON.

~~N. 92.~~

5568



5568

CIMELIA



С. БИБЛИОТЕКА
ИМПЕРАТОРСКИХ
УЧЕБНЫХ ЗАВЕДЕНИЙ

2070

I.


5568


P

Poësis 1434

Mitrovi Andreæ: Poëma sacrum de exumen-
to Domini nostri Jesu Christi sa-
crificiis.

5562





POEMA SACRVM.
DE CRVENTO DO-
MINI NOSTRI IESV
CHRISTI SACRIFICIO.

ANDREÆ MIROVII.



CHRISTVS FACTVS EST PRO NO-
bis obediens vsq; ad mortem, mortem autem
crucis : propter quod et DEVS exal-
tauit illum, & dedit illi nomen, quod
est super omne nomen,
Philip. 2.



CRACOVIAE,
ANNO DOMINI MDC,

590.

VIDETE SI EST DOLOR
SICVT DOLOR

MEVS, Trent.

Aspicient ad me quem crucifixerunt, Zach. 12.

Omnes sitientes venite ad aquas, Is.



dio manuum tuarum, Zach. 13.

Cim. Qu.
5568

BIBLIOTHECA
VNIV. IAGEL
CRACOVIAN. 55

Quæ sunt plagæ istæ in me

FODERVNT MANVS MEAS ET
PEDES MEOS Psa. 21.

Hos ego sustinui pro te miserande dolores,
Verbera, flagra, cruces, stigmata, probra, necem.
O homo si memori benefacta hæc mente reuolues,
Ipse tibi vitæ præmia tanta tuli.

2070 I

ILL^{ri} ET MAGNIFICO D. DOMINO
NICOLAO ZEBRIDOVIO,
PRÆTORIANI MILITIS DVCL
STEZICEN: CRACOVIE NQ; CAPI
TANEO GENERALI, SVPREMO REGNI
POLONIAE MARSCHALCO,
ANDREAS MIROVIVS S. P. D.

IN communi Christianæ Ecclesiæ luctu, & ingenti mæro-
re, quæ haurit, ac protestatur, hoc sacri Ieiunii tempore, ex indignif-
sima acerbissima, & immanissima morte saluatoris nostri IESV
CHRISTI, ILLVSTRIS ET MAGNIFICE. D: nulla
est (iuxta SS. PP. sententiam) certior & efficacior spes, de futuro de-
indè gaudio ex Resurrectione eius percipiendo: tum illa hæreditate æter-
na possidenda, quam eius passionem nunc verè & ex animo recogitare,
ad memoriamq; nostram omnibus horis atq; adeò momentis reuocare.
Quod ille, Misericordia infinita.

Pro miseris hominibus, pro gleba, puluere, terra,
Pro nihilo (æthereus nisi flatus viueret intus)
Pro scelerum patitur deformi mole sepultis,
Sanguine ut infectum peccatis eluat orbem,
Ardentemq; Patris moriendo extingueret iram.

Vnde, quod DD. Ecc. communiter facere monent: hodie præcipiunt.
Si vitia vis fugere, & peccata declinare, tecum seridè expende, quid nõ
egerit ac passus sit triginta¹⁷³¹ annos, vnigenitus filius Dei, ut te à peccatis
ac vitiis omnibus liberaret. Porro si humilitatem, mansuetudinem,
patientiam, obedientiam, charitatem, cæterasq; virtutes eius amas,
ipsq; animum tuum ornare desideras: inspicere in passione eius viam &
absolutum harum omnium exemplar. Hic namq; vnicus sanavit con-
tritiones nostras: dilexit nos spontaneè. Ero, dixit per os prophete,
quasi ros Israël: germinabit sicut lilium: erumpet radix eius ut Liba-
ni: ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius ut Liba-
ni. Conuertentur sedentes in umbra eius, viuunt tritico, & germina-

bunt quasi vinea: & memoriale eius sicut uinum libani. Et quanquam
vniuersa eius vita nobis est imitanda, diligenterq; consideranda, maxi-
mè tamen passio, ut quæ omne genus perfectionis consumationisq; in se
continet: quæq; nos ad dolorem pro peccatis nostris accendere & in-
flamare sola potest. Solus namq; hic quoq; inuentus est,

Verè qui languores tulit ægro in corpore nostros:

Atq; suo nostros illum extirpasse dolores

Interitu, sortesq; sacræ, vatesq; loquuntur.

Nam qualem nos ex nobis habere nunquam poteramus, ille à suæ pas-
sionis initio assumpsit: Nobis relinquens exemplum, ut sequamur ve-
stigia eius. Dicente petro: **CHRISTUS** passus est pro nobis. Dolor
enim in **CHRISTO** excessit dolorem cuiuscunq; contriti: tum quia pro
omnibus peccatis simul doluit, tum quia ex maiore sapientia & chari-
tate processit. Iuxta illud prophetæ. Verè dolores nostros ipse tu-
lit. Talia ego ac tanta commoda recogitata passionis dominicæ
sciens: & videns simul quomodo pii homines his diebus luctuosis con-
nitantur eum qui in ligno crucis ita atrociter expansus fuerat predicare,
decantare, ac venerari: & hoc quidem doctrina hic, ingenio ille, alter
symphonia, dicendi prædicandiq; facultate alter. Hæc sacra poemata
de eodem conscripsi. Humili quidem stylo, pro mediocritate ingenij
mei, at quale materiæ sacræ amant, quibusq; delectantur. Verbum e-
nim Dei, & laudes suæ Sanctiss. M. non opus habent pharmacis sapien-
tibus. Ad te autem Illustris & **MAGNIFICE** Domine cum illis me-
potissimum confero, sub Illustrisq; nomine tuo in lucem egredi patior.
Vel quod in meditatione talium te totum animo & cogitatione defi-
xum certò sciam. Vel quod Musas vnice præ cæteris dilexeris, illisq;
faueas, qui castra sua sequuntur. Vel quod ipse cognitione scientiarum
variarum mirifice excellas: ut etiam hoc plurimis admirationem pari-
at: quod licet fungeris excelsis honoribus, distinerisq; multis & variis
occupationibus, eas tamen memoria viua ita tenes, ac si ea nunc pri-
mum de manu deposuisse videaris. Accipies igitur Illustris & Magni-
fice Domine hanc meam pro præsentis humilem at piam opellam, & re-
ipsa quàm magnitudine maiorem: eamq; benevolentiam tuam, & hu-
manitatem quam aliis in simili passu ad te accedentibus semper præ-
stare consueuisti, in me contrahi & retrahi haud patieris, maiorem in
modum rogo. Vale **ILLVSTRIS** D. tuis, & viue Deo perpe-
tuò felix. Crac: 13. Cal, April, M, D, C.

POEMA SACRVM
DE CRVENTO DOMI-
NI NOSTRI IESV CHRI-
STI SACRIFICIO.

Tristificos mæsto meditandi carmine luctus
Tempus adest ; solitosq; iocos, & ludicra verba
Ponere; mecum omnes, & quos videt occiduus sol.
Quosq; oriens; tristes, tristi date voce querellas.
Iustum est iniustam mortem deslere Parentis.

Mordaces procul ite ioci, sterilefcite falsa
Gaudia, perpetuo manantia felle : facefse
Pestifera ingluuies in tetrum abitura venenum.
Nec mihi quis dicat tenuari membra dolore.
Iustum est iniustam mortem deslere parentis.

Vistula Sarmatidum fluii ô regnator aquarum,
Cornua pomposo demitte tumentia fastu,
Et solito maiore tuos cum murmure fluctus
Protrude, ingeminans ingenti verbere ripas;
Plange, tuum sint hæc testantia signa dolorem.
Iustum est, iniustam mortem deslere parentis.

Vos etiam nostræ armastis quæ mania vrbis
Excelsæ turres, rauco resonate fragore.
Tuquæ cauis habitans circum conualibus Echo;

Ultima

Vltima lugentum nolo iam verba remittas,
Sed totas clarè referas duplicata querellas,
Iustum est, iniustam mortem deflere parentis

Et tu magna petens iuuenum flos atq; virorum,
Nobiscum mæstis ma defac ploratibus ora,
Si CHristi mouet vllus amor, si cura salutis,
Portio communis quoq; sis nonnulla doloris.
Iustum est, iniustam mortem deflere parentis,

Si quis compositas gerit alto in vertice cristas,
Et calamistratos iuuenum de more capillos,
Aut habet elata gemmas in fronte nitentes,
Abiiciat, tristem sint cuncta testantia luctum.
Iustum est, iniustam mortem deflere parentis.

Qui geritis molli gemmata monilia collo:
Et quorum in digitis fulgens micat annulus auro,
Quem labor artificum scalpris affabrè poliuit,
Tundite lasciuum repetito verbere pectus,
Iustum est, iniustam mortem deflere parentis.

Temperet à falso præceps sibi scommate lingua,
Et placidis charos verbis affetur amicos,
Iungat amicitiam, studeat dissoluere lites,
Et simul in nostros properet concedere luctus.
Iustum est iniustam mortem deflere parentis.

Præcipitate moras regali sede relicta,
Inque meos luctus posito diademate Reges
Ite, caput turpi conspergite puluere, pompas,
Deliciasq; molles, soliumq; relinquite fuluum.
Iustum est, iniustam mortem deflere parentis.

Virgineum vili condatur tegmine corpus,
Et patulæ frontis decor atra nocte tegatur,
Discrimen capitis medium spoliatur honore
Consueto, in tristem concedant omnia luctum.
Iustum est, iniustam mortem deflere parentis.

Terra, poli, venti, volucresq; globiq; rotantes
Cælorum, pluuia, nix, æstus, frigus, hyemsq;
Fulgura, grando, feræ, Zephirus, Septétrio & Auster
Ingentem rauco complentes murmure mundum,
Aspirate, pios neu detrectate labores.
Iustum est, iniustam mortem deflere parentis.

Fons vitæ, liquida qui manat ab arce salutis,
Author, perpetuo iungens nos fædere Patri,
Corporeusq; Deus, soboles Patris vna supremi,
Figitur infami ligno : lachrymasné tenemus ?
Extremosne inter pietas nostra exulat Indos ?

Cuius summa fuit res in quascunq; potestas,
Iam tum, cum antiquum necdum desederat atra
Mole chaos ; mare, terra, àér, ignisq; sub vna
Pugnabat malsa, tunc illa æterna potestas,
Præcipiens tantos diuina mente labores,
Multiplicem poterat nutu subuertere molem,
Ille tamen perfert nostri durissima causa,
Ille subit tormenta libens ; ô ignis amoris ;
Quid non fontis amor te CHriste subire coëgit ?

Qui Patri similis fuerat, quem virgo deindè
Numine facta grauis, sub luminis edidit auras ;
Ille est, qui nobis moriendo restituit rem,

Quiq; gemit nostros sub iniqua forte reatus.

Quid non fortis amor te CHriste subire cõdegit?

Cæca ferenaui qui solo lumina verbo,

Qui claudis rectos donauit figere gressus,

Qui consumpta graui recreauit viscera morbo,

Qui superas vita functos ? reuocauit ad auras,

Ille reportaturus ouem, subit omnia, Patti :

At nos securi cura non tangimur ista ?

Extremosné inter pietas nostra exulat Indos ?

numerabilibus sibi qui deuinxerat olim

Isacidum gentem meritis, qui sæua Pharonis

Arma, viros, currus, & equos immerferat vndis

Sanguineis, saluis per stagna meantibus ipsis :

Ille subit mortem, nobis torpentibus, atram.

Extremosné inter pietas nostra exulat Indos?

Cui nemo eximiæ poterat contendere formæ

Munere, quotquot erant mortali semine cretis;

Cuius & ambrosio cyenea loquentis ab ore

Vox ibat, vox mella sonans, vox æthera spirans,

Nunc fert sæua lubens humero tormenta recliui ?

Innocuus culpæ pænas nece soluit amara.

Quid non fortis amor te CHriste subire cõdegit.

Nobilis Isacidæ Davidis stemmate natus,

Regia stirps, illis mater purissima virgo,

Egregiis & auis, atauisq; illustribus orta,

Talis inexhaustos assumit sponte labores,

Atq; dat interitu proprio reuirefcere nobis,

Quid non fortis amor te CHriste subire cõdegit?

Omni

Omni labe carens, genialis criminis expers:

Qualia floriferis exurgunt lilia pratis,
Et Tyrio oblectant oculos aspersa rubore,
Qua tenuis pratum sinuosa ambage pererrat
Riuulus, & læto recreat propè hiantia succo
Gramina, cum veterem flori dat habere vigorem.
Talis pro nobis reus est sinè crimine factus.
Nemonè compatitur tanto in mærore parenti?
Extremosné inter pietas nostra exulat Indos?

Qualis purpureos rosa cum diffundit amictus,
Seq; suis numerat foliis, & prodit honorem,
Qui modo collecto latuit sub vertice tectus,
Tantum alios superat flores splendore comare,
Quantum corniferae vincunt coryleta cupressi.
Talis, prò, quales redemit? nihil hisce mouemur?
Extremosné inter pietas nostra exulat Indos?

Verum quid patitur? quam multos sponte dolores,
Quantam ignonimiam, ludibria, sommata pfert?
Non est qui misero solatia suggerat, aut qui
Adiuuet oppressum, procumbentemq; iuuant
Attollat dextra, non est qui mente reuoluat.
Quantum pænarum solus confecerit Æquor.
Senserunt alii tortore instante leuamen:
Auxilium in mediis sensit diuinitus Agnes,
Ignibus innocuum nomen sortita per agnum.
Ingenti Stephanus laxorum grandine vitam
Finiit, & CHristum vidit summo æthere stantem,
Vidit & auxiliium CHristi sibi sensit adese.

Nil opis hic habuit, precium quo plenius esset.

Quid non fortis amor te CHriste subire cōēgit?

Petrum si videas, dubites, maiornē voluptas

Alliciat demissa polo, grauiornē timorem

CruX illi incutiat? sic semper perbonus ille

Vt pater, ingentes lenit minuendo dolores.

Collige carbones, lapides, gladiosq; , rotasq; ,

Aculeos, enses, funes, & deniq; quot quot

A Satana tormenta hominis sunt indita menti.

Omnia crux CHristi grata dulcedine sparfit,

Omnia condiuit diræ mala vulnera mortis.

Vt rota martyribus viridi pro gramminis herba,

Pro plumis ardens crispanti semine carbo,

Famosæq; crucis laqueus, diadematis alti

Pro splendore foret, gladii, enses, saxa, secures,

Hybleo pro melle apium, pro melle suaui.

Nulla sed imminuit CHristi tormenta voluptas?

Non alterna crucis releuarunt gaudia pænas?

Quocunq; aspicias, nihil est nisi mortis imago.

Heu miserum, communis in hoc inuertitur ordo

Naturæ, esse aliis melius dum quàm sibi mauult.

Quid non fortis amor te CHriste subire cōēgit?

Pro miseris homulis, pro gleba, puluere, terra,

Pro nihilo (athereus nisi flatus viueret intus)

Pro scelerum patitur deformi mole sepultis,

Sanguine vt infectum peccatis, elluat orbem,

Ardentemq; Patris moriendo extingueret iram.

Q. fera peccati facies, ô turpis, ô atra

Colluies scelerum, vitiorum ô turpis imago.
Pertulit haud tantû monstribis bis quinq; domadis
Alcides Pæni munitus pelle leonis. (mando.
Quantum vno hoc môstro Christus tulit ipse do-
O igitur pestis, nullo non digna baratro:
Vipereum mixtum peramaro felle venenum.
En homo, quanta Deus vili pro puluere, summus
Pro verme infirmo, prompto quâ pectore perfert?
Quin igitur Christi patientis amore mouemur?
Extremosné inter pietas nostra exulat Indos?

Quâdo sed hoc pateris, quo tempore Christe dolores?
Cum pia sub festum concurreret vndiq; turba;
Cum passim plateæ strepitarent murmure plebis;
Cum puer atq; senex, cum vir cum coniuge casta
Cum longinquus Arabs, spumâtis & accola Nili,
Cum gens omnis Hebri Salomica tecta petisset.
Conuentu in tanto, tanto in murmure laudum,
Infamis scandis feralia pondera trunci.
O pudor, ô nullis audita infamia seclis.
Æterni magniq; Patris natumq; Deumq;
Præbere abiectæ spectacula turpia plebi?
An nihil ista mouent hominum præcordia dura?
Extremosné inter pietas nostra exulat Indos?

Nunc age præcipuos Christi meditare dolores,
Mecû ô lecta cohors Christi, conscende suprema
Montis oliuiferi mecum iuga, cuncta tuere,
Atq; locis vbi fixa Dei vestigia cernes,
Oscula flagranti fer pectore, tristia toto

Mixta pio fletu profer suspiria corde.
Iam se bis senis CHhristus sub imagine panis
Vescendum dederat focijs, dederatq; bibendum;
Et suprema dies aderat, notiq; labores
Pectora tunc stabili firmans hortamine, sueta
Rebus in aduersis sedeat constantia menti,
Quam toties illos sibi promississe sciebat.
Extemplo Solymæ decessit sedibus vrbis,
Vestitosq; olea colles loca solo petiuit,
Anxius ingentes agitans sub pectore curas,
Percipiens vno terrentes agmine panas.
Dum verò horribili pressus formidine pugnat,
Sanguineus toto prorumpit corpore sudor,
Sanguineaq; cadunt tingentes gramina guttæ.
Et simul erectis sic fatur ad æthera palmis:
Omnipotens genitor, nati miserere: seuerum
Vertere consilium propera, defende dolores.
Vis aliena meo peccata cruore piari?
Si fieri queat, ô Pater, huic me subtrahe letho:
Si nequit, amissam moriens reparabo salutem.
His iterum atq; iterum conatur flectere Patrem,
Crebra simul summo suspiria pectore ducit.
Interea hortator ludas scelerisq; repertor,
Motus auaritia precioq; allectus inani,
Prodere se spondet Phariseis velle Magistrum,
Digna modo veniant audaci præmia cepto.
Ergo sub obscura forti comitante phalange
Nocte, petit noti montis fastigia gressu,

Agmen

Agmen & ipse regit, incertosq; sequentum
 Ancipiti gressus firmat sub lumine Lunæ.
 Collucent facibus fumum mittentibus atrum
 Campi : miratur vicina peruigil arce
 Custos, insolitamq; stupent animalia lucem.
 Vepre latens micat aure vtraq; lepusculus : alto
 Accipiunt sonitus extantes aggere montes.
 Ast inuicta tamen manet inuiolabilis alta
 Mente sedens virtus Christi : nil territus istis
 Procedit, seseq; vltro venientibus offert:
 Ecquæ causa viæ? quem tanta ait agmina quærunt?
 Dixit, & extemplo velut atri fulminis ictu
 Strata solo vesana cohors iacet, atq; tenebris
 Lumina calligant, & membra stupore rigescunt.
 Mox verò cum membra solo tremebunda leuassēt,
 Perfidus accessit vultu mentitus amicum,
 Impia periuris Domino dans oscula labris
 IVDAS, infontemq; hoc signo tradit I E S V M.
 O scelus, ô nullis audacia cognita seclis:
 Te Dominum te vili adeoné numismate captum
 Prodere ?quem vitam tibi scis donasse magistrum
 Hûic auferre paras? ô perfidiam Styge dignam.
 Sed nil magnanimus, quod pœnas augeat, heros
 Aut voluit fugisse aut declinasse videri.
 Quid non fortis amor te CHriste subire cõegit?
 Tum fremit appropèrans stimulator furore iuuentus,
 Iniicit & sanctis immitia vincula membris.
 Sicut vbi celeres timidos rabido ore molossi

Inue-

Inuestigarunt lepores, aut retibus hærens,
Ramosa implicitus luctatur cornua ceruus.
Non aliter vesana cohors ruit agmine denso,
Funibus implexum tenet, vrget raptat, euntem
Protrudit pedibus, nodoso stipite pulsat.

Infringit colaphos, maxillas verbere crebro
Deturpat, sanctumq; caput feriendo fatigat.

O nullis attrita malis patientia Christi.

Gens hominum fuerat Stigiis addicta fluentis,
Liberioris iter vitæ sectata, ligatur

Ille; Deum violauerat ore, os tunditur eius:

Fucato obductos illeuerat sanguine vultus,

Nunc crebris facies alapis fit turgida Christi,

Deformi in terris sanguis nigrore tepescit.

Quid non fortis amor te Christe subire cõegit?

Ad Caiphan tractus, cæsus, derisus ibidem,

Mox ad Romani damnandus præsidis ædes

Ducitur, ille necis causas & crimina quærens

Innocuum videt, absoluit, iubet attamen illum

Ad magna Hærodis duci subselia Regis.

Isq; vbi tendentem sua vidit ad atria Christum,

Ignoramq; viri faciem, cultumq; pererrat

Luminibus, sistiq; gradum, expleriq; tuendo

Nescit, mox propius graditur, subiitq; fateri

Quis sit, & vndè genº ducat, quæ patria, quæ stirps.

Ecquæ fors agitet, vinclisq; reuinciat istis.

Vt verò contra tacito nil edidit ore,

Quin

Quin mihi respondes, ait, & non multa moraris?
Stulte files? tibi nulla mei reuerentia sceptri?
Sic ait, & niueo velatum mandat amictu
Rideri, & tremulis ludi passo ore cachinis.
Sic æterna Patris sapientia ludere? sic ne
Improba scommatibus te gens impugnat acutis?
Verum te (indignum) sic nostra elatio lusit.
Nil onerant propria, aut aliorum crimina vexant.
Quin igitur sacrum fletu testamur amorem?
Extremosné inter pietas nostra exulat Indos?
Romulidumducunt hinc rursus ad Præsidis aulam,
Infontem ficto accusantes crimine. Præses
Toto corde petens nihil auso parcere capto,
Flectitur in varias agitatus turbine partes.
Isacidumq; animo miratur ferrea gentis
Pectora, quæ flexisse queat miseratio nulla.
Tandem ait, expertem sceleris, purumq; remittã,
Omnia scrutati, nihil hunc patrasse videmus,
Innocuum, integrum, factis & stemmate clarum.
Sic Dux; at contra sermone volubilis Annas;
Non idem decor est animo, quem cernim⁹ extra:
Accumulata intus vitiorum molle grauatur:
Quis sciat oculo lateat quid pectore clausum?
Cinyphix segetis non tot numerabis aristas,
Non autumnali sic turgent dolia musto,
Quantus in hoc sceleru cumulat⁹ pugnat aceruus.
Infontemné putas accusari agmine tanto?
Nonne vides vulgum, totaq; ex vrbe furentes

Confluxisse viros, aliquo hunc vt funere tollant?
Impiger hac tota sparfit regione venenum
Dogmatis, & multorum animos impune fefellit.
Quin etiam festis iuxta reliquisq; diebus
Ægros sanauit, dedit & sua lumina cæcis,
Illotis manibus Cereris sacra munera tangens.
Et si quis forsan medio sceleratior orbe
Claruerat vulgo vitius, hunc totus amabat,
Et similis simili gaudebat. Dedito morti,
Auerte hanc terris pestem, tandemq; resurgat
Iustitia, antiquo reuirescens semine per te.
Dixerat; vnanimiq; omnes simul ore fremebant,
Hunc nisi sustuleris damnabere Cæsaris hostis.
Pilatus quamuis sublatum nollet iniquo
Infontem letho, populi tamen ille fauorem
Et proritandam reuolutat Cæsaris iram.
Præsentesq; iubet virgultis flagra parare,
Quæ sine more Deum castigent, inuida donec
Quæ Iudæorum mentes obsederat ira,
Aut expleta, suo tenuata aut tempore cedat.
Expediunt ergo certatim flagra ministri,
Atq; hinc inde parant palmis diffringere ramos,
Flexibilesq; legunt salices, aptantq; flagellis
Mente alacri: crepitat virgis aula omnis acerbis,
Arida pars gelido virgulta in flumine tingit;
Exhaustasq; siti fascès, pars amne tepenti
Recreat; infontem Dominum pars nudat amictu:
Alligat oblongæ circum acto fune columnæ.

Nec

Nec mora terribili contendunt brachia nixit,
Inq; vices subeunt integri ex ordine fessis,
Frendentes, & sacra Dei (miserabile visu)
Viscera lacerant, validis instantq; lacertis,
Qui placidæ longo recreati tempore pacis,
Mirum, quam forti liuentes verberare signent
Vibices, vulsa liuescunt brachia pelle,
Flagrorum seruat dorsum vestigia, honestum
Cædendo pectus nudatis ossibus albet,
Pulcraq; manantem diffundit pulpa cruorem,
Peneq; per totum corpus non vlla scatebris
Pars caret vberibus, ceu cum resolubilis humor
Defluit, atq; altis collecti montibus amnes
Vndiq; dimanant, recreantes prata liquore.
Quæ cautes istud, quis ferri, quis rigor æris
Ferre queat? non sic ceruum furibunda canum vis
Defædat, rubræ captum formidine pænæ.
Nostra nil tanto pro munere lingua rependet?
Extremo sné inter pietas nostra exulat Indos?
Insuper illudunt famuli, sæuosq; silenti
Impingunt colaphos, mediumq; tribunal in aula
Educunt, atq; effultum sic sublimè reponunt
Ludentes, faciem sputis quæ longus ab ima
Putrida vi magna prouolat fauce screatus,
Turpant vulnificis, obducunt tempora spinis,
Tempora iam dudum multo liuentia tabo.
Sanguine barba riget, mentum, naresq; genæq;
Voluitur exanimis tota Rex summus in aula,

Leproso similis, scabies quem lurida vexat.
Christe vbi forma nitens? et honos vbi pristinus oris?
Qui rapuere canes? qui comminuere leonum
Vngues? dirorum quæ vis truculenta luporum,
Purpureum diui vultus aboleuit honorem?
Non lupus, aut canis, aut Fænus leo dente timendus?
Nostra immundities te conspurcauit, ob istam
Delendam, æterni liquisti limina Patris.
Quid non fortis amor te Christe subire cõegit?

Fortia deinde cruci cedunt aptanda securi
Robora, supplicium Dominus quâ ferret iniquum.
Iam fabricata humeris crux imponenda cruentis.
Affertur, magnoq; trahunt clamore ligatum.
Ille tremens vdo verrit vestigia ligno.
Vixq; trahit flatum laguentibus vndiq; membris,
Continuo toto clipeata ex vrbe sequuntur
Angmina, circumdant, comitantur dira ferentem
Pondera, queis sensim cõeuntes sanguine plagæ
Ruptæ iterum stillant vnda: feriendo ministri
Romulidæ mitem Dominum & trudendo fatigant,
Liquitur ille animo persæpè caditq; notatq;
Sanguine humum, duroq; gemit sub pondere ligni.
Dein arrepta humeris trabs, terra ponitur, ardent:
Exstimulati animi famulorum: tenditur heros
Affixus logno, terebratur palma terebris
Vtraq; dein magno tollunt clamore sub auras.
At mater repetita videns suspiria gnati,

Inge-

Ingemit, & misero turbatur pectore fato
 Vnigeni gnati; ligno sed Filius alto
 Distentus tristante super genitrice mouetur.
 Huius hic, illius hæc confors cupit esse doloris,
 Ingenti mærore animi mordetur vterque.
 Interea liquido veluti de fonte scatebræ
 Vulneribus manat densus cruor, omnis aperto
 Vulnere plaga madet, facies pallefcit, & oris
 Deflorescit honos, fluitat caput, eleuat inde
 Dilectum ad Patrem miserando lumina luctu,
 Lumina, nam clauī plantasq; manusq; tenebant.
 SVMME, ait, o genitor, natum indiscrimine tanto
 Deferis; vnigenæ sobolis non cura remordet?
 Dixit, & ad patris flatum mox transtulit aulam.
 Tum sol in tætra texit caligine vultum,
 Cynthiaq; insolitis abscondidit ora tenebris,
 Funere terra Dei mugit, concussa tremore,
 Multaque busta suos patefacta eddère sepultos.
 Tandem aperit mucro sacrum latus impi, ex quo
 Pura mixtus aqua sanguis manauit, eoq;
 Flumine tincta crucis rubuit venerabilis arbos.
 Sic mors crudelis crudeli est morte perempta;
 Vitaquæ terrigenis vita moriente reuixit.
 Quid non fortis amorte CHriste subire cõdegit.
 O Sacrum salueto caput, quod cernere mentes
 Angelicæ cupiunt; salue diademate cinctum,

Et crebris caesum colaphis, & arundine pressum;
Turpibus immundum sputis, & arundine factum.
Tempora vulnificis saluete o saucia spinis:
Liuide vultus aue, malæq; oculiq; iacentes.

O capiti pie CHriste meo tua signa dolorum
Imprime, vt vsq; tui viuero moriensq; recorder.
Tuque o pressa siti, longis & torrida pænis
Lingua mei Domini salueto, ficcine torres?
Ex qua diuini manabant flumina verbi.

Sic ne exhauste gemis fons vitæ & origo salutis?
Huc o Christicolæ laudem gratesq; feramus,
Qui nos dulciloque reparauit dogmate lingue,
Ille sacro gelidas terrebit amore medullas.

Omnipotentis aue cor seruatoris amore
Incensum nostro, sacro tu flamme pectus
Imbue, nos idem tibi iungat fædere feruor,
Qui te fulgenti miseratum à sede vocauit.
Trayce cor nostrum, missamq; infige sagittam
Corde tuo: emolli studioq; incende precandi.
Omnibus hoc opto votis tum fletibus oro,

Candiduli saluete pedes, saluete rubenti
Sanguine conspersi, duroq; in stipite fixi.
Dum vos intueor, supplex dum pronus adoro,
Imma perhorefcunt fædam præcordia culpam.
O claudos stabilite pedes, firmate labentes,
Gressibus auxilio dubiè lapsantibus este,

Diffu-

11
Diffugiant tenebræ, fugiat que plurima gressus
Debilitat caligo meos, nebulisq; fugatis,
Lux tua me trepidum soletur, dulcia sanctis
Bafia des pedibus figam, figensq; quiescam.
Hoc mihi si dederis dederis mihi cuncta redēptor.

At nos laudantes bonitatem Numinis almam,
Dicamus summo fit honor, laus, gloria, CHristo,
Et culpæ veniam linguaq; animoq; precemur.
Quam propter fixus ferali robore pendit
Filius ipse Dei, lumen de lumine CHristus.
Nos, quantas capiunt mortalia pectora, tanta
Dicimus vnanimēs pro tali munere grates.
Fac nos CHriste mori tecum atq; resurgere tecū.
Mors tua det nobis cælestis gaudia regni.
Interea tristi subsultent pectora cantu.

*Tantus amor domino fuit, et clementia tanta
en solueit, ne culpas hominum sub iugare sua
O amor, o pietas, qui ex omni na nulla potrauit,
Vulnera prondis sustinuit, cruce.*



OMNES VIDENTES ME, DERISE-
 RVNT ME; LOQVVTI SVNT
 LABIIS, ET MOVERVNT
 CAPITA. Esa. 53.

Quasi absconditus est vultus eius: & despectus.
 vnde nec reputauimus eum, Ibid.

Ego sum pauper & dolens. Pf. 68.



Vidimus eum virum dolorū Iſa. 53.

Linthea dum morituro fert Verona Turronanti,
 Excipit his faciē Sancta virago Dei.
 O facies dulcis, facies & plena decoris,
 Facta es quā trīstis, turgidulisq; genis.
 Qui te igitur tenet, ille excelsū pignus amoris
 Possidet, multumq; hac sorte colendus erit.
 Sed sumpto Christi Verona piissima vultu,
 Quā felix tua fors, quā cupienda mihi.
 Conatu incumbam forti illam tangere labris,
 Oscula si dederim. oscula mille dabo.

